



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii  
IX. Contractus in specie secundum rubricarum ordinem  
exponens**

**Scharz, Oddo**

**Salisburgi, 1738**

§. I. Quid sit Mutuum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63816)

## APPENDIX.

## De Mutuo.

**M**utuum, quanquam à *commodato* specie differat, in eo tamen mutuum ad invicem habere respectum ambo hi contractus habere videntur, quod uterque sit *realis*, & insimul ex liberalitate procedat: etenim in *Mutuo* non minus, ac in *Commodato* id agitur, ut de nostro alterius indigentia succurratur. Quapropter non incongruè post *Commodatum* de *Mutuo* agere instituimus.

## §. I.

## Quid sit Mutuum?

## SUMMARI A.

1. *Mutui* Etymologia, & Synonymia. 2. *Mutui* definitio cum sua paraphrasi proponitur.

**M**utui etymologiam jurisconsultus Paulus in l. 2. §. 2. ff. de R. C. ab eo deducit, quod de meo tuum fiat. Ne tamen per hanc ipsam derivationem *mutuum* confundatur cum aliis negotiis, & contractibus v. g. legato, donatione, venditione &c. in quibus regulariter de meo tuum fit, illa verba, mox à nobis substituenda, à Paulo quidem expressè non apposita, subintellecta tamen fuisse existima, quod scilicet in *mutuo* vice versa illud agatur, ut tuum illud, quod accepisti, rursus meum fiat per solutionem, scilicet ejusdem generis. Harprecht princ. Inst. Q. M. R. C. O. num. 5. *Mutuum* & *Creditum* synonymicè accipiuntur, ut patet ex t. t. ff. §. C. de R. C. hinc dicitur pecunia credita l. 15. §. seq. ff. de R. C. & in *creditum* dare, & accipere idem est, ac *mutuum* dare, & accipere l. 19. §. 1. lib. 20. ff. de R. C. quan-

quam alias credendi verbum latius pateat, & aliis quoque obligationibus undecunque descendentes accommodari soleat, ut patet ex l. 1. l. 2. §. 3. ff. de R. C. l. 10. l. 11. l. 12. ff. de V. S.

Definitur *mutuum*, quod sit contractus *realis*, *juris gentium*, *nominatus*, *stricti juris*, quo *quantitas*, sive *res fungibilis* in alterum ea lege transfertur, ut *res ejusdem generis*, *qualitatis*, & *bonitatis* non in specie, sed in genere restituatur princ. Inst. Q. M. R. C. O. §. l. 2. princ. ff. de R. C. Obscuriores datæ definitionis particulas lubet illustrare.

Dicitur I. Quo *quantitas* &c. *quantitatis* nomine non modo pecuniam numeratam intelligimus per l. 5. C. si cert. petat. l. 1. ff. de Pecun. legat. Nov. 15. cap. 3. in fin. sed etiam *res alias*, quæ numero, pondere, aut *mensura* in commercium humanum veniunt, ut *vinum*, *frumentum*,  
ole-

*oleum, aurum, argentum* &c. l. 95. ff. de Legat. 3. l. 19. §. 1. ff. de Auro & Argent. legat. l. 11. princ. & §. 1. ff. de Jurisd. Unde miramur, Zafium fuisse singularem, ut qui l. 1. singular. respons. 1. n. 22. scripserit, *oleum, frumentum, vinum* non venire nomine *quantitatis*, bene verò *pecuniam*, cum ipsum fugere haud potuerit, sub pecunia quoque comprehendendi res, quæ *numero, pondere, & mensura* constant l. 30. princ. ff. de Legat. 1. l. 2. princ. & §. 1. ff. de Constit. pecun. l. 97. l. 222. ff. de V. S.

Dicitur II. *Vel res fungibilis*. Per quam intelligimus rem talem, quæ functionem in genere suo recipit, hoc est, ubi res una fungitur vice alterius in eodem genere, ita, ut præstita alia re ejusdem generis, idem, quod creditum fuit, videatur esse restitutum, sic, si mutuos dedi 100. aureos, & debitor mihi alios 100. reddidit, ex æquo mihi satisfacit, quantumvis non eos ipsos, quos mutuos à me accepit, reddiderit.

Dicitur III. *Transfertur*, quia mutuum est contractus *realis*, qui non solo consensu, sed rei traditione perficitur; non tamen opus est, ut semper fiat *traditio vera, sed ficta* nonnunquam sufficit. Sic, si pecuniam à te mutua-vero, quam tamen non habes, sed v. g. equum mihi tradas vendendum, ut ex eo redemptam pecuniam mutuam habeam, *mutuum* erit, quia licet non sit actualiter à me tibi numerata, cense-

tur tamen *brevi manu*, adeoque traditione *ficta* id factum esse.

Dicitur IV. *Ut res ejusdem generis, qualitatis, & bonitatis*, quæ particulae exponunt, quæ sunt hujus contractus *naturalia*: reddi subinde debet res in eodem genere, *bonitate, & qualitate*, quare, qui vinum vetus accepit, & restituit novum, non satisfacit, quoniam non restituit vinum æquè bonum, quod acceperat l. 3. ff. de R. C. Et contra si aureos 200. mutuos accepi, & ego tantundem in moneta argentea reddam, censeor pecuniam ejusdem bonitatis, & qualitatis reddidisse, quia pecunia non ex materia, sed ex valore imposita æstimanda est. Molina de Contract. Tract. 2. disp. 199. num. 3.

Dicitur V. *Non in specie, sed in genere restituatur*. Per *speciem* intelligimus individuum Philosophicum, in quo idem restitutio fieri nequit, quia *mutuum* in abusu sive confusione consistit; debet igitur restitutio fieri in eodem genere, hoc est, in eadem specie Philosophica, ut frumentum pro frumento, vinum pro vino, pecunia pro pecunia &c. Sunt, qui *mutuum* variè dividunt, prout videre est apud Mozium de Mutuo & ejus divisione, & Lauterbach ff. de R. C. §. 8. & seq. scilicet in *naturale, & civile*, & utrumque in *verum, & presumptum*. Nos duntaxat unam speciem agnoscimus, scilicet *mutuum purum naturale*, de quo

## §. II.

### Quis Mutuum dare, quis accipere valeat?

#### SUMMARIA.

3. *Mutuum dare possunt, quibus libera est contrahendi, & alienandi facultas, quinam in specie prohibeantur, singillatim enumerantur.* 4. *Praelati Ecclesiarum mutuum dare*